

Die Urkunden Lothars II., 23

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina
praeveniente clementia rex. Satis nostram liberalissimam decet sublimitatem, ut nutantia
queque et propria adeo parentia firmitate ad integrum perducamus soliditatem, uti nostra
praeceptione rata atque subnixa tenorem suae stabilitatis valeant in aevum tenere. Causam
igitur, ad quam deo inspirante sumus venturi, poene omnium sanctae dei ecclesiae fidelium
nostrorumque praesentium universitas novit, qualiter illo in tempore, quo serenissimus avus
noster Hludouicus huius regni gloria potiebatur nec non et Italici quondam divae
memoriae genitor noster clarissimus imperator, contulit idem avus noster viro illustri
Richardo auctoritatis suae praecepto res quasdam ad proprium, coniacentes videlicet in
comitatu Arduennensi, id est villam quam nuncupant Uillantiam. Hic siquidem post
paululum ob amorem piissimi genitoris nostri dividens se ab eius, avi nostri, famulatione
cunctaque beneficia et omnes relinquens proprietates in Italiam profectus est, patri inclito
nostro famulaturus. Hanc itaque causam avus noster infidelitati reputans memorato Rihardo
praefatam villam, quia ab illius obsequiis recesserat, suo fisco sotiauit. Verum non longo
post tempore genitor noster ex Italia una cum eodem Richardo Franciam repetens atque
miserante deo ad paternam indultis omnibus cum fuisse reversus concordiam, fuit etiam
illi memorata villa imperiali auctoritate restituta. Isdem postmodum Richardus iam circa
finem obitus sui ob divinum amorem et animae suae remedium villam ipsam seu alias res
suae proprietatis germano suo Biuino nec non et Gerardo tunc temporis comiti palatii atque
Basino qui et Tancradus ea conditione tradidit, quatinus illi vicem compleentes ipsius
ecclesiae sancti Salvatoris, coenobio scilicet Prumiacensi, ob retributionis aeternae
commertium funditus a die praesenti traderent, sicuti egisse illos traditio testamenti nec non
et praeceptum patris nostri super hoc rescriptum apertissime declarat. Has denique
firmitates venerabilis abba Ansbaldus et ceteri fratres nostris nostrisque fidelibus deferentes
obtutibus postulaverunt easdem auctoritatis nostrarae praecepto firmari. Quorum
devotissimas grataanter preces suscipientes hos regiae dignitatis imperavimus apices fieri, in
quibus saepe dictam villam cum omnibus appenditiis suis pro remuneratione animae avi et
genitoris nostri seu geneticis nostrarae, pro salute insuper nostra et auctento animae iam fati
Richardi venerando sancti Salvatoris monasterio corroboramus, quatinus per hoc
excellentiae nostrarae decretum temporibus nostris ac successorum nostrorum usibus atque
necessitatibus in eodem loco Christo militantium sine ullius contradictione iugiter
famuletur. Et ut hoc nostrarae auctoritatis et confirmationis decretum firmum atque
inviolabile servetur, manu propria illud roborantes anuli nostri impressione iussimus
consignari.

Signum Hlotharii gloriosi regis.

Ercamboldus regiae dignitatis archicancellarius recognovi.

Data non. mr. anno Christo propitio regni domni Hlotharii gloriosi regis X, indictione XIII;
actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter amen.